



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quod historia haec necessaria sit, & ad animorum salutem conducibilis.  
Cap. VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

cum amplitudine celebratus fuit: Qui Deum, quem ipse auguste coluit, ad hasce gentes vsque magna & verè regia voce, liberè & ingenue omnino prædicavit. Deinde non verbo istud præstitit, & frustratus est re ipsa, sed per omnes virtutum quasi regiones peragrans, vario ac multiplici pietatis fructu se illustrè effecit, nobiles & præstantes viros amplis per liberalibusq; beneficiis ad sibi feruendum deuinxit: legibus autè humanitatis & clementiæ obstrictos tenuit imperiumq; suum, omnibus qui ipsi parebant, mansuetura & cū primis obtabile eatenus exhibuit, quoad lōginquo annorum circuitu diuinis obeundis certaminibus confectus & exhaustus, à Deo, què religiosè venerabatur, immortalitatis præmiis donatus esset, tripliciq; sobolis fœta, qui post ipsum in imperium succederet, in lucè suscepto, ex mortali regno ad vitam immortalè apud deū sanctis animis reconditā migrauisset.

*Quod filius Imperatoris Pius, etiam imperatoribus filiis imperium reliquerit.*

CAP. V.

**A**Tq; vt imperii sedes à patre ducta, ad eum descendit: Sic lege naturæ liberis illius eorumq; posteris referuata fuit, & tanquam paterna quædam hæreditas ad sempiternum tempus propè continuata. Deus igitur ipse, qui illum verè beatum, non modo dū adhuc vna nobiscum hac luce frueretur, ad illustres dignitatis gradus extulit, verumetiam cum ex hac corporum custodia euolasset, multò præstantioribus honoris ornamentis in ipso cælo cohonestauit, res ab eo præclarè gestas literis sempiternis prodat, & cœlestium monumentorum tabulis præmia eius rectè factis congruentia commenda ad perpetuitatem.

*Quod historia hæc necessaria sit, & ad animorum salutem conducibilis.* CAP. VI.

**M**ihi quidè & si viri fœlicitate, & beata vita aliquid dignum dicendo persequi valde arduum est, eandè autè silentio præterire tutū & periculo vacuū, tamè necesse est ad caducæ cuiusdam & vmbra tilis picturæ similitudinè, hominis pii effigiè orationis artificio posterorū memoriæ proderè, quò ipsi inertia & desidia crimè,

Ff 4 quon

## EVSEBII DE VITA

quod alioqui nobis fortè obiici posset, omnino euitemus. Me enim planè puderet, si dicendi facultatem, quæ mihi suppetit, licet exiguam eam quidem & pertenuem, in illum, qui sit verum dei cultum summa obseruantia & honore profecutus, non pro virili parte conferre laborarem. Atque arbitror equidem hoc opus, quod magni animi & verè regii facta deo omnium regi adeo grata acceptaq; complectitur, non modo ad vitæ vsum aptum, sed mihi reuera in primis necessarium fore. An non turpe est nos quidem conticescere, quibus deus ipse pro sua clementia largitus est, vt & talem haberemus imperatorem, & in eius conspectum, notitiam, ac colloquium veniremus, qualem nulla ætas hæctenus cognouerit, cum rerum tum à Nerone, tum ab aliis quibusdã impiis & nefariis tyrannis, eò multò nequioribus gestarũ cõmemoratio, tam diligètes assequuta sit & impigros scriptores, qui improborum facinorũ argumenta splendido & illustri genere orationis exornare, historicarũq; monumētis in varios libros dispertitis consecrare non grauati sunt? Quocirca nobis præter cæteros, valdè consentaneum videtur, vt eximiam & illustrem virtutis eius & rerum gestarum famam palam prædicemus omnibus illis, quorum desiderium ad diuinum amorè amplexandum præclarorum imitatio mirè possit incendere. Nam illi hominum impurorum vitæ instituta & res gestas ad mores rectius informandos penitus inutiles, vt gratia quorundam, vel odio, vel suæ deniq; ipsorum doctrinæ ostendendæ causa fortè impulsī, exquisita verborum elegantia cum orationis volubilitate coniuncta, turpes & flagitiosas res tragicè quidem & amplè, sed parum vtiliter ad hominum vitam narrare aggressi sunt: & illis, qui per Dei gratiæ illud obtinuissent, & vitam culpæ expertem degerent, non honestè facta, sed ea, quæ erant obliuione ac tenebris prorsus obruenda, proposuerunt ad contemplandum. Quod autem ad meam in dicendo vim & facultatem attinet, quamuis præ magnitudine, rerum oratione explicandarum nõ sine causa languescat, tamen aperta & simplici præclarorum ad narrandum facinorum susceptione se debet de quo recreare. Rerum nanq; præ-

clara

clare & diuinitus gestarum commemoratio, non incommodam quidem & iniucundam lectionem, his præsertim, qui sunt animo benè constituti, sed ad vitam instruendam, perquam vtilem & fructuosam est planè allatura.

*Quod ea Constantini gesta sola nunc commemorat, quod ad pietatem pertinent. CAP. VII.*

**C**Aeterum permulta, quæ de hoc imperatore summè beato narrari possent, vt acies instructas, commissa prælia, res in illis strenuè & fortiter gestas, partas victorias, trophæa contra hostes statuta, triumphos, quos egerit, ea etiam, quæ ad cuiusq; vtilitatem fuerint ab eo descripta, legum sanctiones, quas ad Reip. & subiectorum emolumentum instituerit, pleraq; alia illustria & regalia certamina confecta, quæ apud omnes crebro sermone commemorata sunt, arbitror à me prætermitti debere: quippè cum institutum, quo omnis ista tractatio referèda est, me admonere videatur, vt ea sola tū dicèdo, tum scribendo exponam, quæ ad vitam piè religioseque degendam spectent. Quæ cum propè infinita sint, ex his, quæ perlata sunt ad nos, ea summâ quæ & maximè ad vitam opportuna, & posterorum memoria dignissima iudicentur. In quibus exponendis, quoad fieri potest, breuitatem sequar maximè: præsertim cum tempus deinceps facultatem dederit, laudes imperatoris verè beati quouis dicendi genere liberius & diffusius prædicâdi. Nam antehac istud munus minimè propterea obire licebat, quòd nobis veterum præcepto vetitum sit, ne quèquam ante mortem propter varias & incertas vitæ mutationes omnino beatum existimemus. Dei ergo patris imploremus auxiliū, & filii eius cœlestis verbi opem, vt nobis in hoc negotio diuino eius afflatu subueniat. Sic igitur ab ipsis imperatoris incunabulis scribere ingrediemur.

*Quod in Tyrannorum ædibus, Vt Moyses educatus sit Constantinus. CAP. VIII.*

**C**VM crudele quoddam tyrannorū genus populū Hæbræorum labore & cruciatu, sicut vetere iam fama ac

ff s sermone